



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

II. Præceptum di diligendo Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

CAPUT II.

Praeceptum de diligendo Deo.

7. **Q**uoniam modo Deus est à nobis diligendus? Quemadmodum nos Iesvs apud Marcum cap. 1.2. ex Deuter. 6. docuit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Ex toto corde, id est, ex tota mentis intentione; ex tota mente, id est, ex toto intellectu; ex tota anima, id est, ex toto affectu; ex omnibus viribus, id est, per omnia externa opera; ex omni mente, id est, ex toto interno obsequio.

8. *Tenemur ne Deum summi diligere super omnia intimessemus?* Non, sed solum appretiatuè, hoc est, ut eum, eiusque amorem pluris, quam aliquam creaturam aestimemus; & propter illius amorem potius mortem oppetere, quam ipsum vel corde, vel verbo, vel opera mortaliter delinquentem negare.

9. *Num tenemur perpetuè in actu divinitatis amoris esse?* Minime; nec enim huiusc miseræ vitae conditio soinno, aliisque diuerticulis aberrans patitur.

10. *Quando nam hoc praeceptum sub mortali obligat?* Cum sit affirmatum non pro quoconque obligat tempore. Existimo itaque solum obligare pro eo tempore, in quo homines tenentur actui contritionis operam dare.

11. *Quando autem contritio procuranda?* Cum adeat mortis periculum. Cum administratur est, vel recepturus aliquid Sacramentum. Cum actu ordinis solemniter facturus, v. g. cantaturus Epistolam cum manipulo, aut Euangeliū cum stola, vel quamvis aliam actionem officio, Ordinique solemniter annexam, si criminis lethalis illigetur vinculo, & copia confessarij careat.

12. *Num delinquit, qui Deum amat præcisè, quia ab eo accipit, vel sperat accipere seu spiritualia, seu temporalia bona?* Delinquit planè mortaliter.

CAP.